

restituit. Idem Pontifex, postulante Friderico tertio Imperatore, illum Apostolicæ Sedis Nuntium in Germaniam legavit, ut hæreticos ad Catholicam fidem et Principum animos ad concordiam revocaret. In Germania, aliisque provinciis Dei gloriam sexennali ministerio mirifice auxit, Hussitis, Adamitis, Thaboritis, Hebræisque innumeris doctrinæ veritate ac miraculorum luce ad Ecclesiæ sinum traductis.

R. Amavit.

LECTIO VI.

Cum Callistus tertius, ipso potissimum deprecante, cruce signatos mittere decrevisset, Joannes per Pannoniam, aliasque provincias volitavit, qua verbo, qua litteris Principum animos ita ad bellum accendit, ut brevi millia Christianorum septuaginta conscripta sint. Ejus consilio et virtute potissimum Taurunensis victoria relata est, centum ac viginti Turcarum millibus partim cæsis, partim fugatis. Cujus victoriæ cum Romam nuntius venisset octavo Idus Augusti, idem Callistus ejus diei memoriæ solemnia Transfigurationis Christi Domini perpetuo consecravit. Lethali morbo ægrotum et vlllacum delatum viri Principes plures visitarunt : quos ipse ad tuendam religionem hortatus, animam Deo sancte reddidit anno

salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Ejus gloriam post mortem Deus multis miraculis confirmavit : quibus rite probatis, Alexander octavus anno millesimo sexcentesimo nonagesimo Joannem in Sanctorum numerum retulit, ejusque Officium ac missam Leo Decimus tertius, altero ab ejus canonizatione sæculo, ad universam extendit Ecclesiam.

R. Iste homo.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

LECTIO VII. *Cap. 9.*

In illo tempore ; **Convocatis** Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et reliqua.

Homilia sancti Bonaventuræ Episcopi.

EXPOSITIO IN CAP. 9. *Luc.*

Apostoli ideo nominati sunt, ut eorum commendaretur auctoritas. Apostolus enim missus interpretatur ; missi, autem fuerant ad prædicandum, secundum illud : Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Fuerunt ad prædicandum missi, non rem parvam, sed magnam, scilicet regnum Dei, per quod potest intelligi doctrina veritatis, juxta illud :